

ludi exercentur ac joci, pertinere ad vitam, ejusq; aliquam face-
re partem inficiabitur? Ipsum profectò sanctissimum Numen
post peractum creationis absolutissimum opus, quietem instituit,
ut post labores reficiantur mortalium animi, quibus eo quoq; fi-
ne joandi ludendiq; amorem implantavit.

VII. Neq; verò sententiæ nostræ efficiunt quicquam, quæ in
contrariam partem afferri solent. Virtutem omnem in arduis oc-
cupatam esse, ipso Philosopho teste *2. Eth. 2.* & actione suâ ad fe-
licitatem, tanquam ad ultimam metam, tendere; Urbanitati au-
tem nihil horum verè competere. Ludere jocariq; impotentis
animi esse, nec graves decere viros, sed pueros potius, brutaq; ani-
malia, quibus tamen nihil cum virtute commercii est. Mimor-
um, histrionumq; propriam hanc artem esse, qui quàm ludere
sciunt optimè, tantò fermè haberi meliores. Offendere jocos,
ludosq; probari paucissimis; aliam verò longè virtutis indolem
esse, quæ cum honesta maximè sit, honestumq; finem sibi propo-
sitù habeat, aliena longissimè videri possit ab omni offensionis il-
latione. Hæc sunt, quæ ab adversæ sententiæ defensoribus opponi
nobis communiter solent: qui cum videant ipsi, se parùm profi-
cere posse leviculis istis objectionibus, in Codice sacro suppetias
quærun. Jubere Apostolum *Eph. 5, 19. 20.* ut *regenerati Spiritu*
recreent se Psalmis & hymnis; jocosum autem atq; ludorum nul-
lam prorsus mentionem injicere; quoniam damnasse potius v. 4. ejus-
dem capituli *εὐτετραπλίας*.

VIII. Verùm ut eò patefcat clarìus assertionis nostræ veri-
tas, videbimus, quid in recessu habeant contrariæ rationes. Haud
quaquam diffitemur, virtutem in difficili versari opere; id verò,
quod sub hâc propositione subsumebatur, cōstanter inficiamur.
Eccui ignotum est, aliud esse virtutis *objectum*; aliud verò esse
modum, quo circa illud virtus versatur? Tametsi igitur suâ na-
turâ videantur faciles ludi ac joci, justum tamen servare modum
in iis, satis difficile, satis arduum est. Ludere jocariq; cujusvis est;
certum autem iisdem rebus ponere modum ille demum tenet
exactè, qui diuturno rerum adjutus usu, subtiliq; judicio medium
illud rationis, quod circumstantiarum omnium sedulam com-
plectitur æstimationem, definire novit. Et quamvis jocosæ ac lu-